

Miscellen.

Coniectanea A. Meinekii inedita.

Cum bibliothecam Meinekianam, quae nunc pars est bibliothecae principis de Stolberg-Wernigerode atque in gymnasio conservatur, qua Drees phil. dr. qui eius curam habet, benigne mihi uti permisit, examinarem auctore Vsenero, exemplar Nauckii fragmentorum tragicorum Graecorum (ed. I) inveni in quo nonnullae coniecturae Meinekii inessent dignae memoria nec dum notae. neque enim Nauck in altera editione earum mentionem fecit, neque ipse in eis quas inspexi Meinekii commentationibus eas inveni, omnes quidem angulos non perscrutatus. Ad Eur. fr. 703 (704 ed. II) quod ita legitur apud Nauckium:

οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον . . .
εἴτ' ἐστὶ Μυσὸς εἶτε κάλλοθέν ποθεν,
[ἐκ τοῦ] προσώπου Τήλεφος γγνωρίζεται

Meineke in margine adscripsit: 'Nihil horum Euripideum, qui dixerat εἴ σοι Μυσὸν ἥδιον καλεῖν. Cf. App. Prov. p. 399, 3' (paraemiogr. Gr. edd. Leutsch et Schneidewin). Olympiodori locus (in archivo philol. et paed. XIV p. 527, quod mihi ipsi non erat praesto), ex quo Nauck fragmentum hausit, verba Platonis Gorg. 521 B εἴ σοι Μυσὸν γε ἥδιον καλεῖν ita explicat: ἡ παροιμία αὕτη ἐκ τοῦ Τηλέφου ἐστὶν Εὐριπίδου. ἐκεῖ γὰρ ἐρωτᾷ τις περὶ τοῦ Τηλέφου καὶ φησὶ τὸ Μυσὸν Τήλεφον· εἶτε δὲ Μυσὸς ἦν εἶτε ἄλλοθέν ποθεν, πῶς ὅτι ὁ Τήλεφος γγνωρίζεται; Nauck igitur, Wecklein (Sitzungsber. der bayr. Ak. phil. hist. Kl. 1878, vol. II p. 214) alii verba inde a Μυσὸν Τήλεφον usque ad γγνωρίζεται Euripidis esse Platonique proverbii ansam dedisse putant. Sed primum illa ita ut leguntur metro plane carent neque ullum vocabulum exhibent quod a poetis solis usurpetur, deinde mirum esset, si in prima sententia verba necessaria ad structuram οἶδ' ἄνδρα omissa essent, in altera autem structura integra esset servata; tum denique quaeritur quo modo Platonis verba εἴ σοι Μυσὸν γε ἥδιον καλεῖν ex eis, quae apud Olympiodorum exstant, expressa sint. Omnis difficultas collato proverbio εἴ σοι Μυσὸν ἥδιον καλεῖν solvitur, hoc ipsum proverbium, quae senarii pars maior est, Plato ex Euripide sumpsit una adiecta particula γέ, id quod Olympiodorus clare dicit: ἡ παροιμία αὕτη ἐκ τοῦ Τηλέφου ἐστὶν Εὐριπίδου. Ceterum iam Stallbaum a. 1828 in Gorgiae commentario recte vidit sola verba Μυσὸν Τήλεφον Euripidis esse posse litterisque maioribus indicavit. Olympiodorus igitur ita proverbium commentatur: 'interrogat quidam de Telepho et dicit eum Mysum.' Quae

ita fere explicare licet: mentio fit Telephi, fortasse ab ipso Telepho (cf. Wecklein), tum quidam interrogat: 'quem dicis? Mysus est an ex alia gente?' (de Telepho enim Graecos aliquid audivisse consentaneum erat, cum ab Achille vulneratus esset). Hoc loco dicta sunt verba οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον, quorum prima Nauck coniectura certa ex Ar. Ach. 430 addidit ad Olympiodori Μυσὸν Τήλεφον. Is qui interrogat, fere haec dicit Telephi nomine audito: οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον, estne is, de quo loqueris, ille Mysus an non? Tum respondetur: εἴ σοι Μυσὸν ἥδιον καλεῖν (suppleas: equidem non impedio), quorum verborum vis haec videtur 'si malo nomine appellare libet', cf. Plat. l. l. ΚΑΛ. Λέγω τοίνυν, ὅτι ὡς διακονήσοντα. ΣΩ. Κολακεύσοντα ἄρα με, ὦ γενναιότατε, παρακαλεῖς. ΚΑΛ. Εἴ σοι Μυσὸν γε ἥδιον καλεῖν . . . Duplici igitur sensu Euripides nomine Μυσός utitur. Qui lusus verborum solo contemptu, in quo erant Mysi, explicari non potest, causa certa addenda erat Euripidi, ne obscurior esset, et videtur alluisse aut ad substantivum μύσος aut ad adiectivum μυσός (Hes. gl. μυσά), licet prosodia syllabae diversa sit. Cuius rei vestigium fortasse conservat interpretatus proverbium paroemiographus: Μῦσός (sic) τις μυσός ἐβούλετο καλεῖσθαι. Telephus aut cum tam miser esset, sceleratus et dis invisus videri poterat aut fortasse ipse apud Graecos odium Telephi simulabat. Haec fere est sententia: εἴ σοι Μυσὸν ἥδιον καλεῖν, κάλει, μύσος γάρ ἐστι τοῖς θεοῖς ἀνήρ. Iam Olympiodori verba sequentia apte dicuntur: εἴτε δὲ Μυσός ἦν, εἴτε ἄλλοθεν ποθεν, tamen videlicet recte Μυσός appellatur. In verbis obscuris πῶς ὅτι ὁ Τήλεφος γνωρίζεται fortasse πῶς corruptum est ex ὄμως, 'tamen Telephus agnoscitur' (λέγεται aut ἐστὶ post Τήλεφος mente supplendum).

.Adiungo fragmentum ex paroemiographis p. 412, 8; Coisl. 215 iambicum quod neque apud tragicos neque apud comicos inveni: ὡς ἐσχάτῳ Μυσῶν κέχρηταί μοι, quod mihi comici poetae esse videtur, cf. fragmenta similia comicorum adnotata a Leutschio.

In Neophronis fr. 3 adnot. crit. (schol. Eur. Med. v. 1387): οἱ μὲν λέγουσι κατὰ Μηδείας χόλον ἢ κέλευσιν ὑπὸ τῇ πρύμνῃ τῆς Ἀργούσ καταδραθέντα (sic ed. I) τὸν Ἰάσονα τελευτῆσαι ἐμπροσθέντος αὐτῷ ξύλου Meineke χ in χόλον lineola notavit adscripsitque in margine δ? quam emendationem neque Nauckius memorat neque scholiorum editor Schwartzius.

Ionis fr. 33 ita proponitur apud Nauckium:

χελιδόνες

schol. Ar. Av. 1680: Ἴων ἐν Ὀμφάλῃ τοὺς βαρβάρους χελιδόνας ἀρσενικῶς φησιν. cf. etiam Herod. ed. Lentz vol. I p. 25. Meineke verbis τοὺς βαρβάρους adnotavit in margine 'poetae sunt'. Quae coniectura et metro, quod apparet, et multorum locorum similitudine commendatur, cf. Aesch. Ag. 1034 s. ἀλλ' εἶπερ ἐστὶ μὴ χελιδόνος δίκην ἀγνώτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη et Ar. Ran. 680 ss. δεινὸν ἐπιβρέμεται Θρηκία

χειλιδῶν ἐπὶ βάρβαρον ἔζομένη πέταλον, quo in loco corrupto βάρβαρον sine dubio ad vocem hirundinis pertinet. Vocabulum χειλιδῶν ἀρσενικῶς usurpatum etiamsi Herodoti usu non firmatur (quod enim Schweighaeuser in lexico Her. affert exemplum II 22, nihili est), tamen fortasse Philippi ep. Anth. Plan. 141 probatur Κολχίδα τὴν ἐπὶ παισὶν ἀλάστορα τραυλὲ χειλιδῶν, πῶς ἔτλης τεκέων μαίαν ἔχειν ἰδίων, adiectivum enim τραυλός habet formam femininam in Calliae com. fr. II 741, 3 Mein.

In fr. adesp. 277 (345) adnot. crit., ubi legitur apud Nauckium: Phryn. Bekk. p. 64, 5: σκοτεινὸς ὀργήν· ὁ δόλιος καὶ οὐ φανερός (φανερῶς cod.) ὀργήν, Meineke litteras ην vocabuli ultimi lineola notavit et in margine scripsit ἰζόμενος? apparet glossographum scripsisse φανερώς ὀργιζόμενος, quod verbum fortasse compendio scriptum propter antecedentia in ὀργήν corruptum esse videtur.

Initio libri in pagina alba inter notas partim iam ab ipso Meinekio publici iuris factas haec exstant:

‘Seneca brevit. vitae cap. 2 apud maximum poetarum (i. e. Euripidem) —

exigua pars est vitae quam nos vivimus’.

quod fragmentum Menandro tribuere solent (v. Fickerti ed.) idemque esse credunt ac fr. Plocii IX v. 2 (Mein. IV 194):

ἀεὶ τὸ λυποῦν ἀποδίωκε τοῦ βίου’

μικρόν τι τὸ βίου καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον.

Meineke iam in Menandreis dixit: ‘Nostri (Menandri) loci tamen paullo diversa sententia est’. Apud Senecam ille ‘maximus poetarum’ (cf. superius in c. 1 illum ‘maximum medicorum’) declarat (sententia enim constat de verbis dubitatur) homines exigua vitae parte uti, maiorem partem perdere, Menander parvam angustamque vitam hominibus datam esse, cf. Euripidis Herc. fur. 503 s. μικρὰ μὲν τὰ τοῦ βίου, τοῦτον δ’ ὅπως ἤδιστα διαπεράσετε. Non Menandro igitur fragmentumtribuendum est sed poetae tragico, fortasse Euripidi. Meineke vulgatam in fragmento describendo secutus est, quae trimetrum exhibet non rectum. eum non licet ‘vitae’ in ‘vita’ mutato corrigere, quod verba sequentia ‘ceterum quidem omne spatium non vita, sed tempus est’ non admittunt sententiam istam. In codice Ambros. secundum Hertziū legitur: *exigua pars est vitae* (parva ras.) *qua* (corr. m. 2 ex *vita equa*) *vivimus*, quae verba si omnino versum efficiunt, sane senarius restituendus est. Si fragmentum prosa oratione continetur, Seneca haec verba ‘more oraculi dicta’ ex canticoa rhythmis tragicorum Romanorum alieno sumpsisse videtur, trimetros enim Graecos aut in orationem indirectam vertere solet; tum cum Ambrosiano legendum est ‘exigua pars est vitae, qua vivimus.’

Bonnae.

A. de Mess.